Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8140
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Eufemianus autem textum carte audiens, nimio dolore contremu-
it. cum magno eiulatu super corpus filii procubuit. Mater uero scissa ues-
te eiulans accurrit. flebili uoce flumina lacrimarum fundit. Porro
nobilis sponsa multa laude digna. rupto speculo miserabili-
ter sponsum suum lamentatur. se turturem imitaturam protestatur. que
cum comparem amiserit. non ultra alium eligit. Interea corpus signis glorifi-
catur. cuius spiritus inter angelos iocundabatur. Nam ceci illuminabantur. de-
mones ab obsessis fugabantur. Ruunt itaque populi. cupientes
tangere corpus mortui. Quotquot enim tangebant. ab omni languore
salui fiebant. Cuncti itaque manus et uoces tulere ad sydera. glori-
ficantes dominum qui facit mirabilia. Vix tandem corpus cum multo labore
per multitudinem ad ecclesiam est portatum. quod vii. diebus ymnis et laudi-
bus mansit inhumatum. Nam undique catervę populorum confluebant. sanctum
corpus contingere cupiebant. de quo miram fragrantiam suauissimi odo-
ris hauriebant. ac depulsa aduersa ualitudine omnes de percepta
sanitate gaudebant. Demum cum magnifico honore carnis ma-
teria terrę mandatur. anima in celis exultans omnibus se inuocantibus opi-
tulatur. Hunc karissimi cum omnibus sanctis petamus. ut conuiue dei esse ualeamus.
atque cum ira eius in breui super eos exarserit. quos in furore suo conturba-
bit. nos domini salus excipiat. et super populum suum benedictio eius ueni-
at. Quam oculus non uidit. DOMINICA SEPTIMA.

Praeceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. in uerbo autem
tuo laxabo rete. Sanctus petrus tota nocte in piscatione laborans
nihil cepit. in uerbo autem domini rete laxans multitudinem piscium con-
clusit. ita nos cum uiciis et peccatis contenebratis predicamus. qua-
si in nocte frustra laboramus. Et ideo nihil capimus. sed uerba in cas-
sum fundimus. quia nimirum sermo dei in hoc capitur. quod terrena tantum
sapit. In uerbo autem domini rete laxamus. dum populo iusticiam esurienti
uerbum uite administramus. Tunc multitudinem piscium concludimus.